



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. car

Sábado 19.05.2018

Carta del Santo Padre al enviado especial en la celebración del milenio de la fundación de la Abadía de Buckfast (Gran Bretaña)

El 30 de abril de 2018, el Santo Padre Francisco nombró a Su Eminencia el Cardenal Anders Arborelius, OCD, obispo de Estocolmo (Suecia) como su enviado especial en la celebración del milenio de la fundación de la abadía de Buckfast (Gran Bretaña), que tendrá lugar 24 de mayo de 2018.

El enviado especial estará acompañado por una misión pontificia, compuesta por los siguientes monjes de la abadía:

- 1) Dom Benet Conlon, O.S.B., Viceprior.
- 2) Dom Daniel Smyth, O.S.B., Hospedero.

Publicamos a continuación la Carta del Santo Padre a Su Eminencia el cardenal Anders Arborelius:

Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro

Andreae S.R.E. Cardinali Arborelius, O.C.D.

Episcopo Holmiensi

Senectus venerabilis est Deo et condicio decore dignitateque insignita et eminentia sapientiae: in Domino enim non quae est diuturna neque annorum numero computatur (*Sap* 4, 8), sed bonus est fructus, qui in opere exiguum laboratur iuventutis excipientis doctrinam et demum editur de generationibus illius (cfr *Eccli* 6, 18-19). Quam non modo in hominibus, sed etiam ad domum ecclesiae collaudamus relatam, in qua summus angularis lapis Christus Iesus.

Haec considerantes, valde laetamur de millesimo celebrando anniversario ab abbazia Dominae Nostrae de *Buckfast* in Anglia fundata, cuius diutinam sollertiam iam per saecula florentem prae laudavit Praedecessor Noster beatae memoriae Pius XI, divinarum laudum pio resonantem canore, domicilium virtutum, apium curae per fugium, Evangelii lumine late advecto merito gloriosam, quae recentiore dein aetate, post ruinam, monachorum indefessi laboris gratia ad novum et mirum venit decorem.

Tantum recolentes memoriam, dilecti istius monastici gregis filii expetierunt, ut inter sollemnia perfrui possent praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga istam communitatem manifestet dilectionem. Proinde, Reverendi Patris Abbatis humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram vertimus, qui, nobilissimae terrae Suetiae praestantissimus filius, historicas necessitudines tempore primae evangelizationis Scandiae inter patriam tuam et monachorum ex Anglia opus missionarium mirandum admodum comperis, ut hodie peraptus videaris ad mutuam Ecclesiae sollicitudinem per hoc ministerium tuum significandam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae die XXIV huius mensis Maii, in festo Dominae Nostrae de *Buckfast*, in eadem abbazia agentur ad honorandos M annos dictae monasticae communitatis foundationis.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationi Eucharistiae praesidebis, Abbatem aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque necnon publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos sermone tuo ad diligentiores perquisitionem veritatis, boni et pulchritudinis in cotidiana vita cohorteris. Caritatem in dominici schola servitii instituendam suadeas, quae non est nisi angusto initio incipienda, processu vero conversationis et fidei, dilatato corde, inenarrabili delectionis dulcedine curritur, a dominico numquam magisterio discedendo et in eius doctrina perseverando (cfr s. Benedictus de Nursia, *Regula*, prologus). Simul, insuper, gravissimum Nostrum Petrinum ministerium precibus committimus totius monasticae communitatis omniumque ibi congregatorum.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem Nostram Apostolicam impertimus omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter exposcentes, ut haec communitas fidelium, Spiritu vivificata, verbo vitae ac divina gratia instructa, amoris Christi nihil praeponat.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Maii, anno Domini MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS
